Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
JURE PEDUM,
Von Rechte der Füße,

QUAM

CONSENSU MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS

SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOH. GOTTLIEB SIEGEL

d. 3. Maji A. C. MDCCXXVI.

H. L. Q. C.

ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

CHRISTIANUS DAVID
RUDOLPHUS

Gorl. Lusat.



RECUSA LIPSIÆ

LITTERIS GODOFR. AUG. STOPFFELII MDCCXLIV.



§. I.



Us omne, quo utimur, personarum causa constitutum esse, Imperator docet *§. 12. J. d. J. N. G. & C.* brutis namque, quum rationis expertia sint, leges præscribi nequeunt, unde recte asseritur: jus in bruta non cadere, ea injuriæ incapacia esse *l. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fec. dic.* & Imperator *in pr. J. d. J. N. G. & C.* jus Naturale per id, quod natura omnia animalia docuit, describens meritò reprehenditur, neque ad defensionem Imperatoris distinctio inter instinctum naturalem & ipsum Jus Naturæ facit, siquidem ex definitione utriusque satis apparet, quantum inter se differant, hinc jus Naturæ, nisi naturam ejus destruamus, aliamque inducamus, ad instinctum naturalem trahi nequit. Duplex autem personarum respectus circa Leges occurrit, siquidem istæ subditorum actionum, quibus semper normam præscribunt, eas interdum considerant, quæ circa personas versantur, prout ex jure personarum clarius colligere est. Jus personarum hominem in certo statu positum respicit; sicutique homo pluribus constat membris, ita & illud unius vel alterius membri hominis ratio-

Jus personarum causa constitutum.

hinc in bruta non cadit.

Persona in jure dupliciter consideratur.

Transitio ad thema.

rationem in specie sæpius habet, id, quod præsens Dissertatio de Jure Pedum luculenter demonstrabit. Faxit Deus feliciter.

§. II.

Definito juris pedum.

Jus pedum est norma Imperantis de pedibus lata, subditos ad obsequium obligans.

§. III.

Homines à sexu dividuntur in masculos & fœminas.

In statu naturali homines ratione sexus sunt vel masculi, vel fœminæ, illi præ his prærogativa gaudent, quod major dignitas sit in sexu virili, quam muliebri *l. 1. ff. de senat.* indeque fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sint, & ideo nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere *l. 2. ff. d. R. J.* fœminæ è contrario melioris sunt conditionis masculis, quoties imbecillitas sexus spectatur, siquidem plerumque fœminæ adversus commoda propria invenitur laborare consilium *l. 4. C. d. sponsal.* quare fœminis certis in casibus jura ignorare permissum *l. f. C. de jur. & fact. ignorant.* atque per SCtum Vellejanum plenissime fœminis pro aliis intercedentibus subventum est *l. 2. §. 1. ff. ad SCtum Vellej.* In dubio autem masculi pari cum fœminis jure utuntur *l. 4. C. d. lib. præt. vel exhæred.* ubi inter alia & hæc extant verba: *qui enim tales differentias inducunt, quasi naturæ accusatores existant, cur non totos masculos generavit.* Jura masculis vel fœminis propria Hermaphroditis quoque competunt, siquidem tertiam speciem non constituunt, sed sexui prævalenti annumerantur *l. 10. ff. de stat. hom.* Aliud de monstris asserendum, quæ cum contra formam humani generis vel omnino vel in parte substantiali, puta capite peccent, inter homines non referenda, nec jus liberorum consequun-

In dubio pari utuntur jure.

Ab iis hermaphroditi non differunt.

bene tamen monstra.

quuntur, *l. 14. ff. eod.* Illustr. à Berger *in Oecon. Jur. lib. I. Tit. II. §. 11. not.* 2. neque *l. 135. ff. d. V. S.* obstat, quæ ita disponit: *quæret aliquis: si portentosum vel monstrosum, vel debile mulier ediderit, vel qualem visu vel vagitu novum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quam hominis partum: an, quia enixa est, prodesse ei debeat? Et magis est, ut hæc quoque parentibus prosint, nec enim est, quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, statutis obtemperaverunt, neque id, quod fataliter accessit, matri damnum injungere debet;* distinguendum enim inter pœnæ propter orbitatem constitutæ evitationem, & inter præmii liberorum procreandorum causa ordinati captationem, siquidem partus monstrosi liberi non sunt ad consequendum jus trium liberorum, habentur tamen pro liberis ad evitandam pœnam orbitatis & caducitatis à L. Papia constitutam SCHWEND. ad ECKOLT. *lib. I. Tit. V. §. 3.* verb. *cujus conciliationem.* Partus autem, qui à natura hominis aberrant vel ratione vocis, puta, quod habeant vocem caninam, equinam, asininam, aut similem, vel ratione membrorum, quorum officia ampliâre, inter homines connumerandi *d. l. 14.* Illustr. à BERGER *c. l.* Unde hic quæstio merito emergit: si partus nascatur, qui vel plane nullis, vel uno saltem, vel tribus, aut pluribus præditus pedibus, an ille homo habendus? Et sicuti omnibus his casibus quæstio ista affirmanda; ita fundamentum hujus assertionis ex sequentibus colligere est: ex *l. cit. 14.* argumentum ita duci potest: quicunque partus non contra formam humani generis converso more procreatur, ille non monstrum, sed homo habendus: Atqui partus, qui vel caret, vel abundat pedibus contra formam humani generis converso more non procreatur. E. &c. Quæ conclusio in

Obj. *l. 135. ff. d. V. S.*

Resp.

Partus, qui vel plane nullis, vel uno saltem, vel tribus, aut pluribus præditus pedibus, monstrum non est.

l.10. §. 2. ff. d. ædil. edict. haud obscure approbata, atque *l.38. ff. d. V. S.* confirmata, siquidem ibi talem dispositionem invenire est: *Ostentum Labeo definit omne contra naturam cujusque rei genitum, factumque, duo genera autem sunt ostentorum; unum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte aut PEDIBUS aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est, alterum, cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci φαντάσματα, id est, visiones vocant.*

§. IV.

Unde talis partus ritè baptizandus, & ad successionem ad mittendus.

alias ipsi actio præjudicialis competit.

Eodem ex fundamento nec is, qui cum pede v. c. equino, vel caprino natus ad monstra pertinet, Illustr. à BERGER. *c. l.* Hinc talis homo & omnes illi, qui intuitu pedum vel defectu, vel excessu laborant rite baptizandi, & ad successionem admittendi, alias ipsis actio præjudicialis ex statu naturali ratione humanitatis orta competit, cujus fundamentum ponendum ex parte actoris in statu humanitatis, daß Kläger die wesentlichen Stücke eines Menschen habe, ex parte vero rei in negatione illius status, daß Bekl. Klägern davor nicht erkennen, sondern pro monstro ausgeben wolle. Petitio ita concipienda est, ut actor pro perfecto homine, atque adeo etiam successionis capaci declaretur: daß Kläger vor einen vollkommenen Menschen zu erklären, und folgends zur Succession zu lassen. Illustr. à BERGER. *in us. act. cap. I. §. 11.*

§. V.

Homo ratione pedum imperfectus ad successionem feudalem non admittendus.

Sed an ejusmodi homines in feuda quoque succedere possint, hic non immeritò quæro? Et si considerem, Vasallo feudum concedi ad hoc, ut ille & sui hæredes fideliter domino serviant 2. *Feud. 23. §. beneficium.* hominem autem defectu vel excessu pedum laborantem ad id ineptum

ptum esse, negativam sententiam analogiæ juris feudalis congruam esse puto. Quare & duabus ex opinionibus, quæ 2 *Feud. 36.* ita traduntur: *mutus & surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiam si sic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus & Gerardus & multi alii. Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus feudum retinere non posse, quia ipsum servire non valet*, posteriorem priori cum HORNIO in *Jurisprud. Feud. c. 15. §. 12.* CARPZOV. *p. 3. const. 28. def. 6.* merito præfero. Nec vitio pedum laborans audiendus, si ad servitia per substitutum præstanda se offerat, siquidem Vasallus regulariter ipse servire tenetur, dominusque ejus præsentiam exigere potest 2. *F. 55. §. firmiter.* 2. *Feud. 36.* STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. c. XI. aph. 6.* Jure Saxonico res extra dubitationis aleam posita, quum in Jure provinciali *l. I. art. 4.* expresse dispositum: **auf allzuviel und Gezwerg, und dergleichen untüchtige Leute stirbet weder Lehn, noch Erbe, noch auf Krüppel-Kinder.** item: **wird auch ein Kind gebohren stumm, Sinn-oder Witz-loß, oder blind, oder sonst unvollkömmlich an seinem Leibe, das ist wol Erbe zu Land-Recht aber nicht zu Lehn-Recht.** Ubi monendum, quod in editione Losiana voculæ stumm, verba: oder Hand-loß oder Fuß-loß, oder blind, subjecta, & verba: oder sonst unvollkömmlich an seinem Leibe omissa. Æquitas tamen postulat, ut alimenta in subsidium deficiente allodio ejusmodi inhabili ad successionem ex feudo præstentur *1. F. 6. §. 2.* Et licet textus iste de feudo magno loquatur, sententia tamen ejus ad alia quoque feuda ob identitatem rationis extendi potest HORN. *l. c.*

Interim tamen ipsi alimenta ex feudo in subsidium præstanda.

§. VI.

Parum autem refert, an quis ratione pedum imperfectus

fectus

Sententia in §. præcedent. tradita ita ampliatur, ut sive quis ratione pedum imperfectus natura, sive ex accidenti successionis feudalis incapax sit.

Limitatur autem in eo, nisi dominus eum de feudo investiat

Vitium pedum superveniens Vasallum feudo non privat.

fectus natura, an ex accidenti, nam & hic in feuda succedere nequit, ratio enim 2. *F. 36.* expressa natura, & ex accidenti imperfecto convenit. Aliud asserendum, si Dominus vitio pedum laborantem de feudo investiat, eumque Vasallum suscipiat, nunquam enim tunc dominus habere potest, quod de vitio Vasalli conqueratur, quum sciens vitium feudum concesserit, potius gratiam ei facere ac permittere censetur, ut per substitutum servitia præstet CARPZOV. *p. 3. const. XXVIII. def. 7. n. 6. seqq.* Id quod eo quoque casu verum, si Vasallus de feudo jam investitus, & à Domino pro Vasallo agnitus ex casu quodam superveniente absque sua culpa pedem quendam amittat, indeque inhabilis ad servitia reddatur, hunc enim feudo jam perfectè acquisito privari vel ipsa æquitatis ratio prohibet, ne afflicto addatur afflictio *l. 14. ff. d. offic. præs.* Sicutique id, quod semel legitime factum est, ex supervenienti casu non retractandum, ac in irritum vocandum *l. 31 ff. d. donat.* ita nullibi in jure feudali cautum reperitur, ut Vasallus, qui post feudum acquisitum imperfectus redditus, feudo privandus, quin potius adversæ fortunæ casum Vasallo feudum jam tenenti & possidenti haud imputandum esse, clare dispositum est LR. *lib. I. art. 4.* verb: **Hätte aber ein Mann Lehen empfangen, ehe er also gebrechlich worden wäre, das verleist er damit nit. der aussätzige Mann der empfähet gleicher weiß auch kein Lehen noch kein Erbe. Hat er aber das empfangen vor der Seuche und wird darnach sie, er behält es, und vererbet es auch als ein ander Mann.**

Obj. 1. F. 6. Resp.

Neque verba *1. F. 6. mutus feudum retinere non potest*, obstant, siquidem illa ad casum, ubi defectus jam ante devolutionem contigit, commode trahi, atque ad primam investi-

vestituram referri possunt, hoc sensu, ut inhabilis jus feudi ex prima investitura descendens retinere non possit. HORN. *c.l.* Cæterum si feudum à servitiis sit liberum, vel servitia talia sint, quæ ab imperfecto præstari possunt, hominem vitio pedum laborantem ad successionem in feuda admittendum esse puto, STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. c.9. aph. 10. n. 8.* quoniam tunc ratio cessat, ob quam alias à successione repellebatur. *In feuda à servitiis libera imperfectus ratione pedum succedere potest.*

§. VII.

Secundum statum naturalem, qui à nativitate repetitur, homines dividuntur in natos vere, ac fictè. Fictè nati intelliguntur nascituri, ii scilicet, qui in utero sunt; namque hi toties pro natis habentur, quoties de eorundem commodo quæritur, *l. 7. l. 26. ff. d. stat. hom.* modo postea nascantur vivi *l. 3. C. d. posth. hæred.* sive ipsiusmet naturæ ope, sive arte, puta excisione *l. 141. ff. d. V. S.* Indicia autem vitæ non præcise ex clamore ab infante edito, sed aliunde quoque petenda, hinc nullum dubium, quin infans recens natus, qui pedem tantum movens illico decedit, vivus natus præsumatur, ita ut nunc v. c. hæreditatem maternam ad patrem transferre possit, vel v. v. Et licet Lehn-Recht *art. 20.* sanciat: Wann ein Sohn, der nach seines Vaters Tode gebohren wird, so lange lebet, daß man seine Stimme gehören mag in den vier Wänden des Hauses, so ist er beerbet mit seines Vaters Lehn. atque Land-R. *lib. I. art. 33.* disponat: Nun vernehmt, ein Weib die ein Kind trecht, nach ihres Mannes Tod, und die sich beerhaftig beweisset zu der Begräbniß oder zu den dreyßigsten, wird das Kind gebohren, und hat die Frau des Gezeugnüß an vier Mannen, die das gehöret haben, und an zweyen Weibern, die ihr hülffen an *A nativitate homines sunt nati vere ac fictè.* *Ex motu pedum vita partus colligenda.* *Obj. Lehn-Recht art. 20. item Land-R. lib. I. art. 33.*

ihrer Arbeit, das Kind behält des Vaters Erbe;

Resp. uterque tamen locus nihil aliud requirit, quam ut posthumus vivus edatur, quod & satis expressum est in cit. *art. 33.* LR. verb. lebendig gebehren, ac convenit id ipsum sanctioni Justinianeæ in *l. 3. C. d. posth. hæred.* Unde sicuti loca allegata Juris Saxonici de clamore partus loquentia demonstrationem ac declarationem vitæ partus tantum suppeditant; itá nullibi prohibitum, quin demonstratio ista per alium modum fieri possit, potius ex *l. 3. C. d. posth. hæred.* haud obscure colligitur, eam interdum per alium modum fieri debere, quid enim si mutus nasceretur, an ob defectum vocis pro mortuo habendus? quod merito in *cit. l. 3.* negatur.

§. VIII.

Libertatis definitio. Statum naturalem excipit legalis, ad quem primo loco statum libertatis refero. Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur *§. 1. J. d. jur. person.* Unde sicuti homines in statu libertatis positi facultate aliquid ex proprio arbitrio agendi gaudent; ita quæstionem hic merito moveo, qualis potestas libero homini in pedes suos competat? Et licet nemo membrorum suorum sit dominus *l. 13. ff. ad L. Aquil.* usus tamen membrorum liberis hominibus haud denegandus, modò sit honestus & licitus. Quare & libero homini pedibus suis uti licebit, ita tamen ut parili ratione usus eorum licitus & honestus esse debeat.

Libero homini usus pedum suorum haud negandus.

§. IX.

Tabellarius usum pedum Ab arbitrio autem hominis dependet, an pedibus suis in propriam, an vero utilitatem alterius uti velit, posterius à tabellariis vulgo observatur, qui ut plurimum per contra-

contractum locati conducti uſum pedum ſuorum alicui concedunt: tali ex contractu tabellarius ad culpam levem tenetur *a. l. 5. §. 3. ff. commod.* Neque obſtat, quod in opera locata culpa leviſſima præſtanda *l. 25. §. 7. ff. locat.* ſiquidem id tantum procedit, ſi quis opus ut artifex conduxerit *l. 13. §. 5. ff. eod.* quod autem de tabellario non aſſerendum. Hoc præmiſſo, quæſtio: ſi tabellarius in itinere verſatus delictum quoddam committat, indeque in carcerem conjiciatur, & per conſequens impediatur, quo minus ad locum, quo legatus, debito tempore pervenire queat, an is, qui tabellarium legavit, hunc ad damnum datum reſarciendum convenire poſſet? de facili ita decidenda, ut tabellarius omnino ad damni illud, quod culpa ſua dedit, refundendum ſit obligatus, nec is ullam mercedem exigendi jure gaudeat, potius acceptam reſtituere teneatur, uſum enim pedum, pro quo alter mercedem promiſit, vel jam dedit, ritè non præſtitit.

ſuorum alteri ut plurimum per contractum locati conducti concedit, unde ad levem culpam tenetur

Obſt.

l. 25 §. 7. ff. locat.

Reſp.

§. X.

Aliud ſtatuendum, ſi tabellarius caſum fortuitum patiatur, v. c. à latronibus detineatur, pedem quendam frangat, indeque impediatur, quo minus tempore præfinito iter abſolvere queat; tunc enim, quum ipſi nihil imputari poſſit, ad damnum, quod alter inde forte ſentit, reſarciendum non tenetur *a. l. 13. §. 5. ff. locat. l. f. §. 1. ff. d. L. Rhod. d. jact.* interim autem nec mercedem exigere valet, quia caſus nocet facienti, ſive ad factum obligato STRYCK. *C. C. Sect. 2. c. 9. §. 3.* Aſt graviter obſtat *l. 38. pr. ff. locat.* ubi PAULUS ſtatuit, eum, qui operas ſuas locavit, totius temporis mercedem accipere debere, ſi per eum non ſtetit, quo minus operas præſtet. Atqui per tabellarium à latronibus detentum, pedem frangentem &c. non ſtetit,

Tabellarius caſum fortuitum non præſtat.

interim tamen nec mercedem exigere valet.

Obſt.

l. 38. pr. ff. locat

fterit, quo minus iter abfolvere potuerit. E. vi iftius legis tabellarius ifte mercedem conventam jure petere poteft. Verum lex ifta ex lege *19. §. 9. ff. eod.* fupplenda, fi fteterit per eum, cui operæ locatæ, quo minus præftari potuerint, v. c. fi is decesſit. BRUNNEM. ad *c. l. 38. n. 1.* Quo & facit LR *lib. 2. art. 32.* verb. **vertreibet aber der Herr den Knecht, oder urlaubet ihm ehe der Zeit, er soll ihm vollen Lohn geben.** Jam vero per eum, qui tabellarium legavit, non ftetit, quo minus tabellarius à latronibus detentus, pedem frangens &c. iter abfolvere potuerit, unde nec is vi legis *38. pr. ff. loc.* ad conventam mercedem tabellario folvendam obligatus.

Resp.

§. XI.

Servorum Romanorum pedibus domini pro lubitu uti poffunt,

Oppofitum hominum liberorum funt fervi, hi dominis fuis proprii, ideoque & illi pedibus fervorum fuorum pro lubitu uti, ufum eorum alteri donare, vendere, vel quocunque modo libet, concedere poffunt. Et quum fervus quodcunque acquirit, domino fuo acquirat *l. 1. §. 1. ff. d. his, qui fui vel alien. jur. funt:* nullum eft dubium, quid id, quod ad fervum ex operis pedum pervenit, domino cedat. Dicta hodie ad captos infideles, quam diu ipfis libertas non conceffa, applicari poffunt, non etiam ad homines proprios, hi enim fervorum conditioni non adfcribendi, fiquidem juris communis cum aliis liberis hominibus participes funt, quod de fervis penitus afferi nequit *l. 32. ff. d. R. J.* Participationem vero juris communis conftituto in Jure connubiorum, contractuum & teftamentorum, quatenus fcilicet hæc omnia in præjudicium prædii & fervitiorum non tendunt. Ex quibus ficuti clare apparet, proprios homines libertate reftricta gaudere; ita dominis prædiorum, quibus proprii homines addicti, de

atque omne acquirunt, quod ex operis pedum fervorum pervenit. Hoc in captis infidelibus hodie ufum prabet non autem hominibus propriis.

de operis horum pedibus præstandis, pro lubitu disponendi non competit facultas, neque quicquid inde acquiritur, domini semper lucrantur, sed hi potius hominibus propriis permittere necesse habent, ut ipsi operis pedum utantur, in quantum his ad alimenta parandum opus.

§. XII.

Fundamentum operarum, quas famuli conducti dominis suis præstare tenentur, pariter & acqusitionis domini inde faciendæ, conventio inter dominum & famulum inita suppeditat. Unde si servum ad vecturam, ancillam ad cocturam conduxerim, operas pedibus præstandas exceptis iis, quæ ad peragendam vecturam & cocturam necessariæ, à servo & ancilla poscere nequeo, siquidem conventio ultra operas in ea expressas non extendenda, hinc cautela pro domino notanda, ne in contractu locati conducti cum servo vel ancilla ineundo certas operas determinet, sed potius operarum in genere mentionem faciat. Hoc præmisso de facili quoque dijudicandum, non omne, quod ex operis famuli pedibus præstitis acquiritur, domino acquiri, quod si enim ad eas conventio non trahenda, sine dubio lucrum inde ortum dominus sibi vindicare nequit. Quæ assertio ut clarior evadat, casum quendam proponere liceat. Mævius conducit Sempronium, ut ipsi rhedarius operas præstet, tempore, quo dominus servi operis non indiget, hic tabellarium se gerit, indeque certam mercedem acquirit, quam servus retinet, nec domino tradit.

Famuli conducti ex conventione cum dominis inita operas præstare tenentur, hinc dominus à famulo operas pedibus præstandas non indistincte poscere potest,

nec omne id, quod ex operis famuli pedibus præstitis acquiritur, capit.

§. XIII.

Circa servos conductos huc pertinens quæstio: an dominus, si famulus conductus vitio pedum laboret, contractui cum eo inito stare teneatur, an vero justa à contra-

Quæstio: an dominus, si famulus conductus vitio pedum laboret, contra-

Qui cum eo inito stare teneatur, an vero ab eodem recedere possit? expenditur.

ctu recedendi inde gaudeat causa? adhuc consideranda. Distinguendum esse puto, an vitium illud servo conducto operas conventas præstanti impedimento sit an minus? Fundamentum hujus distinctionis ex *l. 10. §. 2. ff. d. ædil. edict.* peto, ubi verba ita sonant: *sed si quis plures digitos habeat, sive in manibus, sive in pedibus, si nihil impeditur numero eorum, non est in causa redhibitionis, propter quod non illud spectandum est, quis numerus sit digitorum, sed an sine impedimento, vel pluribus, vel paucioribus uti possit.* Et licet lex ista de causa redhibitionis disponat, redhibitio autem ad locationem non pertineat *l. 63. ff. eod.* quia Ædilium hac de re non erat jurisdictio, locationes tali fraude non fiunt, ac venditiones, & actio locati conducti, si ob vitium rei re commode uti non liceat, sufficiat; nihilo tamen minus, cum in *l. 2. pr. ff. locat.* Imperator sic sanciat: *locatio conductio proxima est emtioni & venditioni: iisdemque juris regulis constitit, nam ut emtio & venditio ita contrahitur, si de pretio convenerit; sic & locatio & conductio contrahi intelligitur, si de mercede convenerit*, dispositio *l. 10. §2 ff. d. ædil. edict.* ad locationem merito applicanda, hac tamen addita declaratione, ut non redhibitio, sed alius effectus, qui mox apparebit, inde oriatur, nempe si tali vitio pedum servus laboret, ob quod operas præstare impeditur, dominus contractui stare non est obligatus, sed à contractu recedere & famulum dimittere potest, nec ad mercedem solvendam obstrictus, *a. l. 15. §. 2. l. 25. §. 2. ff. locat. conduct.* nisi dominus vitium pedum sciens servum conduxerit, ita namque non habet, de quo conqueri possit, quum sibi ipsi imputare debeat, quod servum vitio pedum laborantem conduxerit, vel vitium pedum supervenerit, tunc enim comperto vitio dominus quidem famulum dimit-

Si vitium pedum tantum sit, ut famulus operas præstare eo impediatur, dominus à contractu recedere potest.

nisi dominus vitium pedum sciens servum conduxerit.

dimittere potest, ast mercedem ipsi pro rata temporis, quo operæ præstitæ, solvere tenetur *a. d. l. 25. §. 2.* Econtrario autem si vitium pedum tantum non sit, ut inde famulus ad operas præstandas inidoneus reddatur, dominus frustra à contractu recedere, & famulo mercedem denegare allaborat, quum domini intentio in contractu cum famulo inito eo tendens, ut hujus operis uti valeat, expletione non careat, quare obligatio ejus, unde contractum servare & famulo promissam mercedem solvere, ipsi incumbit, stat firma.

Sin autem vitium pedum leve sit, dominus contractui stare tenetur.

§. XIV.

Rustici hodierni sunt quidem liberi homines; nihilominus tamen Dominis suis operas **Dienste, s. Fröhnen,** præstare debent, quæ sunt servitia equis, jumentis, plaustris, manibus, pedibus aliisque modis gratis aut modica compensatione interveniente ad alterius utilitatem exhibenda, Illustr. MENCKEN, *in theor. & prax. Pandect. lib. XXVIII. tit. J. §. 11.* & dividuntur ratione præstationis in equestres, **Pferde-Wagen- oder Spann-Dienste,** quæ ab iis, qui equos alunt, **Anspännern, Pferdnern,** præstari solent, & manuales, **Hand-Frohnen,** quæ ab iis, qui equos non alunt, & nominantur **Hintersättler, Kottsaßen, Hand-Fröhner,** manibus, pedibus vel alias corpore præstantur. Huc pertinent: **Getreydeschneiden, Heumachen, Botschaftlauffen, wachen, jagen &c.** Circa has operas rusticorum quæstio: an dominus novum rusticum vitio pedum laborantem recipiens, ab eo operas, quas reliqui rustici pedibus præstare necesse habent, exigere possit; hic merito examinanda? Et ante omnia in quæstionem præjudicialem, an rusticus ea ex conventione, quam antecessores sui cum domino inivere, obligatus, indeque operas præstare tenea-

Rusticorum operæ quid sint? traditur.

Rusticus ex conventione, quam antecessores sui cum domino inivere, obligatus est.

teneatur? inquirendum. Responsionem affirmativam sequens illustris Scabinatus Wittebergensis confirmat responsum:

Auf vorstehende facti speciem und angehängte Rechts-Fragen, nebst denen Beylagen sub A. B. & C. sprechen Wir verordnete Doctores des Churfürstl. Sächß. Hof-Gerichts und Schöppenstuhls zu Wittenberg vor Recht; Wenn gleich die Unterthanen zu N. wieder die angesonnene Hasen-Jagt-Dienste mit der diesfalls erlangten Freyheit und Verjährung sich zu schützen vermeinen, und hiernächst aus dem Vertrage sub A. wer von denen Unterthanen eigentlich erschienen, und in solchen mit eingewilliget, nicht abzunehmen, maßen darinnen derer Unterthanen und der Gemeine zu N. nur in folle erwehnet, mithin, daß solcher Vertrag gar nicht probire, es das Ansehen gewinnet,

L. 1. pr. ff. de his, quæ in testam. del.
l. 21. C. de probat. ibique Gothofredus Lit. b.
Brunnem. ad l. 17. C. d. Fid. Instrum. n. 1.
Barb. & Tab. Loc. comm. L 9. c. 96. ax. 1.

Dennoch aber und dieweil in obenangeregten zwischen N. als Lehn- und Gerichts-Herrn zu N. an einen, und dessen Unterthanen daselbst andern theils, gemachten Vergleiche, daß dafern, was die Haasen-Jagt betrifft, einer nicht selber kommen könte, er sodann an seine statt einen andern verschaffen, und schicken solle und wolle, deutlich enthalten, hiernächst die Unterthanen zu N. dem Anführen nach, sothanen Vergleich und zwar sonderlich Anno 1632. und 1641. durch gewisse bestellte Syndicos agnosciret, und darüber besage der Beylage sub C. rechtskräftig erkennen lassen, wie nicht weniger nur noch vor kurtzen daraus wider ihren itzigen Lehn- und Gerichts-Herrn N. geklaget, und den Grund ihrer

Klage

Klage ausdrücklich darauf gesetzet, worzu kommt, daß dieser Vergleich auf derer Partheyen Ansuchen, und des Ober-Hofgerichts zu Leipzig Befehl desselben Gerichts-Recess-Buche einverleibet worden, dahero, daß solcher zu recht beständiger Weise aufgerichtet, und die Gemeinde zu N. selbigen auch wider sich gelten zu lassen schuldig, nicht zu zweifeln

cap. 10. d. R. J. in 6to.
cap. 1. X. de his, quæ vi metusve causa fiunt.
cap. 5. X. de despons. impuber.
l. 13. C. d. non numer. pecun.
l. 14. C. d. contrah. stipul.
Gail. *Lib. II. obs. 71. n. 6.*
Schrad. *Tr. de Feud. P. 10. Sect. 12. n. 12.*

Ferner N. vor sich und seine Nachkommen, wie ohne diß zu vermuthen,

L. 9. ff. d. Probat.
L. 7. §. 8. ff. de pact.
L. 40. pr. ff. eod.

contrahiret, und dasjenige, worzu derer Unterthanen zu N. Vorfahren sich verbündlich gemacht, dererselben Successores sich gleichfalls gefallen lassen müssen,

L. 59. 149. 160. §. 1. & L. 175. §. 1. ff. d. R. J.
L. 14. C. de R. V.
L. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.
L. 2. 3. C. de his, qui in prior. credit. loc. success.

In übrigen die Forderung der Haasen-Jagt-Dienste pro re meræ facultatis zu achten, und folglich der Erb- und Gerichts-Herr zu N. derselben ohne, daß die Unterthanen daselbst ihm solche verweigert, und er über Recht verwehrte

Zeit dazu stille geschwiegen, und es bey ihrer Verweigerung bewenden lassen, nicht verlustig werden können;

L. 18. §. ult. ff. quemadm. servit. amitt.

Carpz. *P. 2. const. 4. def. 13.*

D. Berger. *Oecon. Jur. l. 2. Tit. 2. §. 22. not. 1.*

zu geschweigen, daß im gegenwärtigen Fall denen Unterthanen, welchen ihre Schuldigkeit aus dem in Händen gehabten Recess genugsam bekannt gewesen, mala fides im Wege stehet,

cap. ult. X. de præscript.

D. Horn. *Cl. V. Ref. 20. p. 296. b. & Cl. X. Resp. 3. p. 557. seq.*

und es allhier auch an dem justo præscriptionis tempore von 31. Jahren, 6. Wochen und 3. Tagen mangelt,

vid. D. Berger. *d. l. §. 24.*

Endlich der itzige Gerichts-Herr von denen Jagt-Diensten und dem Vertrage sub A. bishero nichts gewust, mithin das tempus præscriptionis seinetwegen allenfalls erst à die scientiæ anzurechnen.

arg. L. 2. ff. pr. quis ordo in bon. poss. serv.

So erscheinet daraus allenthalben so viel, daß N. die versprochene Haasen-Jagt-Dienste vermöge des Recesses sub A. von seinen Unterthanen zu N. zu fordern, sie auch in Verweigerungs-Fall durch gewöhnliche Zwangs-Mittel darzu anzuhalten wohlbefugt V. R. W.

§. XV.

Quæstio, an dominus novum rusticum vitio pedum laborantem recipiens ab eo operas pedibus præstan-

Assertione itaque rusticos ex antecessorum suorum conventione cum domino ratione servitiorum inita teneri satis probata, decisioni quæstionis principalis in §. præced. prolatæ manus nunc admovendæ. Sententiam negativam sequentia svadent fundamenta: quilibet favori & juri

& juri suo renunciare potest *l. pen. C. d. pact.* hinc si dominus rusticum vitio pedum laborantem recipit, operas pedibus præstandas ipsi tacite remittit, nec habet, de quo conqueri possit, quod ab ipso operas exigere non valeat, quemadmodum & dominus, qui sciens famulum vitio pedum laborantem conduxit, contractui stare obligatus, nec eo, quod famulus pedibus legitimas operas præstare impediatur, hunc dimittere valet per ea, quæ §. XIII. tradita. *das exigere possit? expenditur, rationes dubitandi.*

Verum hisce non obstantibus affirmativæ adstipulor, siquidem juri suo competenti nemo in dubio præsumitur renunciare, *a. l. 25. pr. ff. d. prob.* hinc ex eo, quod dominus rusticum vitio pedum laborantem receperit, animus operas pedibus præstandas remittendi haud colligendus, sicuti & dominus feudi vasallum ad servitia præstanda inhabilem admittens vasallo servitia non remisit, sed tantum beneficio juris, quo à vasallo poscere potest, ut ipse serviat, renunciavit, atque licentiam per substitutum serviendi tacite concessit. STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. c. XI. aph. 6. n. 5.* *rationes decidendi,*

Rationes, quibus sententia contraria nititur, pr. hujus §. allegatæ ita declinari possunt: principium: quilibet juri & favori suo renunciare potest, factam juris cujusdam renunciationem confirmat, unde ad id frustra provocatur, ubi de renunciatione non constat. Atqui ex receptione rustici vitio pedum laborantis renunciatio operarum pedibus præstandarum minime haurienda. Ergo principium istud hic plane applicari nequit. Deinde argumentum à famulo vitio pedum laboranti ad rusticum eodem implicatum ductum haud subsistit, siquidem ratio diversitatis manifesta. Contractus locati, qui inter famulum vitio pedum laborantem & dominum intercedit, consensualis est, hinc ultra operas in quas contrahen- *rationes dubitandi declinantur.*

 tes

tes consensere, haud explicandus. Atqui in eas operas, quæ ob vitium pedum præstari nequeunt, neque dominus neque famulus consensum præbuere. Ergo nec eas à famulo exigendi dominus fundamento præditus. Rusticus autem ad operas domino præstandas ex conventione, quam antecessores cum domino inivere obligatus, ista conventio de operis pedibus præstandis expresse disponit, inde sicuti dominus jure quæsito eas operas à suis rusticis exigendi gaudet; ita isto jure quæsito per vitium pedum, quo rusticus laborat, non privandus, sed huic potius incumbit conventioni antecessorum morem gerere, atque operas in ea expressas, si ipse ad eas præstandas inhabilis sit, per substitutum præstare.

§. XVI.

Si rusticus per vitium pedum superveniens ad operas pedibus præstandas inhabilis fiat, dominus eum ex pago expellere nequit.

Eodem ex fundamento dominus à rustico, qui ex postfacto vitio pedum afficitur, indeque ad operas pedibus præstandas inhabilis redditur, poscere potest, ut eas operas per substitutum præstet, neque dominus audiendus, quit talem rusticum ex pago expellere cupit, licet enim dominus famulum per superveniens vitium pedum inidoneum ad serviendum factum dimittere valeat, fundamentum tamen istius assertionis domino rusticum vitio pedum laborantem expellere volenti haud prodest, contractus namque loc uti conducti inter dominum & famulum initus ob hujus pedum superveniens vitium eò ulterius non subsistit, quia finaliter ad id respicit, ut dominus famuli conducti operis uti possit, qui finis autem cessat, si famulus ob vitium pedum ad operas præstandas inhabilis. Rusticus è contrario ex semel facta receptione jure quæsito, in pago, quamdiu lubet, commorandi gaudet, nec illud per superveniens vitium pedum amittit, quum

quum domini nihil intersit, an rusticus, an ejus substitutus operas præstet, & nullibi sancitum, ut rustici ipsi operas præstent; quare & puto, dominum rustico receptionem petenti hanc eo, quod vitio pedum laboret, denegare haud posse.

§. XVII.

Operæ rusticorum strictissimæ sunt interpretationis. Illustr. MENCKEN. *in theor. & prax. Pandect. Lib. XXXVIII. tit. 1. §. 6.* unde dominus operas, quæ à rusticis pedibus præstandæ Botschaft lauffen, in alias operas, Getreyde schneiden, Heu machen, mutare, aut loco earum pecuniam Dienst-Geld, à rusticis invitis exigere nequit. Cui accedit, aliud pro alio à debitore invito creditori obtrudi non posse *l. 2. §. 1. ff. d. R. C.* ergo nec aliud pro alio invito debitore extorqueri. Eodem ex fundamento dominus, cui rustici operas pedibus intra certum spatium v. c. auf eine Meile, præstare tenentur, easdem ultra istud extendere nequit. Sed quid si operæ pedibus præstandæ ad certum locum restrictæ, an in vicem hujus loci dominus alium substituere potest? Et si locus substitutus a priori ratione spatii, qualitatis viæ non differat, puto substitutionem istam domino permissam esse, quum ita subditorum conditio durior non reddatur, sed idem sit, an ad priorem, an posteriorem eant locum.

Operæ rusticorum pedibus præstandæ in alias mutari non possunt.

& intra certum spatium præstanda ultra illud extendi nequeunt.

ad certum locum autem restricta interdum ad alium transferri possunt.

§. XVIII.

Coronidis loco circa jus pedum intuitu rusticorum operarum hactenus consideratum, quæstionem moveo: si rusticus pedibus operas præstans impendia respectu earum facere necesse habeat, an ea a domino repetere valeat? Casus a se invicem separandi. Impendia in ipsos pedes v. c. curationem eorum, vel reparationem tibialium, calceo-

Impendia, quæ rusticus operas pedibus præstans facit, in quantum dominus restituere teneatur, traditur.

calceorumve facta solus fert rusticus, siquidem operæ rusticorum impendio instrumentorum eorum, qui serviunt, debentur *a. l. 20. pr. ff. d. oper. libert.* Quod si autem rusticus operas pedibus præstans flumen quoddam transire, atque pro transitu portorium solvere tenetur, hoc ipsi a domino restituendum, quum rusticus duplici onere non afficiendus. Huc facit præjudicium, quod Illustr. MENCKEN *c. l. §. 7.* allegat, vi cujus Illustris Facultas Juridica Lipsiensis M. Jul. 1701. respondit, rusticos jumentis operas præstantes das Geleite solvere non teneri.

§. XIX.

Claudus aliove vitio pedum laborans in Consulem vel Senatorem eligi potest.

Statuti libertatis, cujus intuitu jura pedum hactenus tradidi, statum civitatis subjungo. In eo alii regunt, allii reguntur & parent: regentium ordo Senatus vocatur. Ubi quæstio occurrit, an vitio pedum laborans, v. g. claudus, in Consulem vel Senatorem eligi possit? Et licet ULPIANUS in *l. 1. §. 5. in fin. d. postul.* asserat, cœcum Magistratum quidem cœptum retinere posse, ad novum autem adspirare penitus prohiberi, indeque Dd. colligant, quod in Magistratu decor requiratur, vitio vero pedum laborans decore carere videatur; nihilo tamen minus sentio, claudum aliove vitio pedum laborantem in Consulem vel Senatorem eligi posse, siquidem *cit. l. 1. §. 5. d. postul.* ceu odiosa magis restringenda, quam amplianda, potissimum quum cœcitas Magistratus decori magis detrahat, quam claudicas, & hodie in Magistratu tantum decus non requiratur, quantum equidem olim, experientia namque quotidiana satis testatur, hodie vitio oculorum pariter & pedum aliorumve membrorum laborantes in Consules Senatoresve eligi, electosque confirmari.

§. XX.

§. XX.

Non omnes jus civitatis acquirere possunt, sic incapaces sunt hæretici, *a. l. 4. C. d. hæret. Auth. Gazaros C. eod.* Judæi, *a. c. 13. 18. X. de jud.* vid. tamen *Reform. Polit. de ao. 1548. Tit. 20.* von Juden und ihren Wucher, verb. setzen ordnen und wollen Wir, daß hinführo niemand Juden aufzunehmen oder zu halten gestattet werden sol, dann denjenigen, die von uns, und dem Heil. Reich Regalia haben, oder insonderheit derselben privilegiret seynd, banniti, *Ord. Cam. p. II. tit. 9. §. 2. tit. 10. §. 3.* aliique; imo licet quis inter ejusmodi inhabiles non reperiatur, interdum tamen jus civitatis ipsi a Magistratu denegatur, si nempe hic justa renuendi causa gaudeat. *Resol. Grav. de A. 1609. tit.* von *Justitien*-Sachen, *gr. 29.* Estne autem justa jus civitatis deneganda causa, si is, qui jus civitatis petit, vitio pedum laboret? Et quamvis in *Resol. Grav. c. l.* in genere saltem dispositum: und da dieselben erhebliche und zu Recht gnugsame Ursachen fürzuwenden, atque hujus causæ mentio ibi non fiat, sed potius ideo pro omissa habenda, quia civis vitio pedum laborans munera pedibus expedienda per alium agere valet; homini tamen vitio pedum laboranti, hincque ad munera pedibus expedienda inhabili jus civitatis jure denegare credo, cives namque in persona munera personalia agere teneri *l. 2. §. 7. ff. d. vacat. & excus. mun. l. 3. C. qui morb. se excus. Ordinat. Eccles. Tit.* von *Immunit*äten und Freyheit der Kirchen-Diener, §. darneben sollen unsere Kirchen-Diener in Städten und Dörfern aller persönlichen Bürden, mit Wachen, Gerichtsfolg, und sonsten für ihre Person verschonet bleiben, und ihrer Erb-Güter schuldige Fron

Non omnes jus civitatis acquirere possunt.

Inter capaces juris civitatis imperfectus ratione pedum refertur, rationes dubitandi,

rationes decidendi.

Fron und dingliche Pflicht durch andere ums Lohn bestellen mögen, satis demonstrant, siquidem ibi certis personis privilegium munera personalia per substitutum agendi conceditur, quod autem plane supervacaneum foret, si omnes cives vi dispositionis communis munera personalia per alios expediendi gauderent licentia.

§. XXI.

Vitium pedum superveniens civi non nocet.

Aliud statuendum, si civis postquam jus civitatis adeptus vitio pedum affectus est, nunc enim munerum pedibus expediendorum excusatio ipsi competit, *l. 2. §. 7. ff. d. vacat. & excus. mun.* ubi verba: *corporis debilitas eorum munerum excusationem præstat, quæ tantum corpore implenda sunt l. 3. C. qui morb. se excus.* quæ ita disponit: *Podagræ quidem valetudo nec ad personalium munerum prodest excusationem: verum cum ita te valetudine pedum afflictum dicas, ut rebus propriis intercessum commodare non possis: rector provinciæ, si allegationibus tuis fidem adesse perspexerit, ad personalia munera te vocari non patietur.* Estne autem talis civis, qui ob vitium pedum excusatione munerum personalium gaudet, ad minimum obligatus, ista munera per substitutum expedire? Ita cum STRYCKIO *in not. ad Lauterbach. Lib. L. tit. 5. & 6.* verb. *corporis imbecillitas*, statuendum esse censeo, siquidem LL. allegatæ civem corpore debilem muneribus personalibus non in totum eximunt, neque obligationem, unde ea agenda, tollunt, sed tantum excusationem, unde ea agenda, tollunt, sed tantum excusationem tribunt, quæ nihil aliud denotare videtur, quam allegationem causæ, ob quam ipse munera personalia expedire nequit. Cui accedit, quod, si concederem, tali civi munera personalia in totum remissa

interim tamen munera pedibus expedienda per substitutum agere tenetur.

esse

esse reliqui cives nimium onerarentur, atque pro cive inhabili munera expedire tenerentur, ad quod tamen minime obligati.

§. XXII.

Inter cives quidam specialia ineunt collegia, quæ sunt sodalitia ex pluribus individuis constantia, uno eodemque jure gaudentia. Constituitur collegium per 3. minimum personas *l. 85. ff. d. V. S.* in una autem conservatur *l. 7. §. f. ff. quod cuj. univers. nom.* Ad collegium probatum requiritur, ut autoritate publica legitime confirmatum, *l. 3. §. 1. ff. d. colleg. & corp.* Hæc confirmatio a Superiori dependet *d. l. 3. §. 1. l. 1. pr. ff. quod cuj. univers. nom.* unde quæstores citra Principis concessionem ab eadem sibi temperare jubentur. *Resol. Gr. de A. 1609. gr. 18.* verb. **als befehlen Wir den Schößern hiermit ernstlich, daß keiner ohne Unser Verwissen, einigen Handwercken neue Innungen bey höchster Unserer Strafe und Ungnade zu bestätigen sich unterfahe, sondern da dergleichen bey ihnen gesucht, an uns weisen möge.**

Ad collegium probatum superioris desideratur confirmatio

Illi qui desiderant, ut sodales recipiantur, qualitate in statutis Innungs-Artickeln præscripta præditi esse debent, hinc ea carentibus, receptio merito denegatur, statuta autem opificum non requirunt, ut sodales integri sint corporis, unde novo sodali vitium pedum, quo laborat, frustra objicitur.

Vitio pedum laborans non prohibetur, quo minus sodalis alicujus collegii recipi possit.

§. XXIII.

Civium alii sunt bonæ famæ, alii infames; Infamia est privatio famæ & jurium ab ea dependentium, quæ pri-

vatio factum turpe & illicitum requirit; citra hoc enim nullius fama minui, multo minus auferre potest, unde phrasis vulgus sæpius utitur, ich will den Kerl infam machen, fundamento caret. Varia autem facta, quæ infamant, in *tit. ff. d. his, qui notant infam.* recensentur, quæ omnia explicare, ratio instituti mei non patitur. Interim tamen occasione *l. 2. §. 5. eod.* ubi ULPIANUS ait: *qui in scenam prodierit, infamis est*, hic merito quæro: an civis professionem funambuli exercens infamis fiat? Et licet à dispositione *leg. cit. 2.* Comœdi hodierni eximantur, siquidem Comœdiæ nihil aliud sunt, quam scholæ morales, quibus vel heroicæ aliorum actiones exhibentur, & laudantur, vel aliorum vitia horumque infelicissimi eventus ostenduntur, quo quid imitari, quid evitare debeant, advertant spectatores; si ergo hæc omnia cum castitate ac gravitate, morumque modestia peragantur, si nihil, quod pietatem & honestatem lædat, immisceatur, nil maculæ adspergi talibus comœdiis potest, quæ namque honeste ab aliquo enarrari, quæ honeste in historicorum & poëtarum libris legi possunt, cur non illa per prosopopœiam modestam honeste populo exhiberi possunt, non video, præsertim cum firmius inhæreant spectatorum animis, quæ commissa sunt oculis virtutum exempla STRYCK. *U. M. P. lib. 3. tit. 2. §. 8.* nihilo tamen minus funambuli *l. alleg. 2. §. 5.* hodie subjacent STRYCK. *in not. ad Lauterb. lib. 3. Tit. 2.* verb. *in scenam:* hinc nullum dubium, quin civis ejusmodi professionem eligens in infamiam incurrat.

Civis funambuli professionem exercens infamis sit.

§. XXIV.

In statu familiæ sunt patresfamilias, qui sunt sui juris & ha-

& habent jus familiæ imperandi *l. 195. §. 2. ff. d. V. S. l. 4. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt*, & filii familias, qui sunt in potestate patria *l. 4. ff. eod.* Patria potestas est facultas patri competens liberis imperandi quoad personam & res ad communem familiæ utilitatem *pr. J. d. Nupt. l. 4. ff. d. R. J. l. 6. C. d. bon. quæ liber.* Acquiritur ut plurimum nuptiis, *pr. J. d. patr. pot.* quas præcedunt sponsalia, quæ sunt mentio, i. e. interrogatio die Ehewerbung, & repromissio, i. e. responsio, die Zusage, das Jawort, futurarum nuptiarum *l. 1. ff. d. sponsal.* Unde antequam sponsæ acceptatio accesserit, sponsus pœnitendi gaudet licentia, modo mutationis animi sponsam certiorem reddiderit; propositum namque in mente retentum nihil operatur; quare sponsus valide obligabitur, quamvis jurare velit, se, antequam sponsa oblatam sibi nubendi conditionem acceptarit, animum mutasse, nec sponsus habet, de quo conqueri possit, quum sponsus sibi imputet, quod tempestive sponsam de pœnitentia sua non fecerit certiorem. Illustr. à BERGER. *in Oecon. Jur. l. 1. Tit. 3. §. 4.* Acceptatione autem sponsæ facta atque in notitiam sponsi perlata, sponsalia sunt valida, contrahentesque inde obligantur, nisi sponsalia contrahere impediti aut prohibiti sint, quibus vitio pedum laborantes non annumerandi, unde sponsalia ab iis contracta subsistunt, atque obligationem ad consummationem producunt.

Patria potestatis definitio.

Acquiritur nuptiis.

Sponsaliorum definitio.

Vitio pedum laborantes sponsalia validè celebrare possunt.

§. XXV.

Sed quid juris, si unus desponsatorum vitium pedum, quo alter laborat, ignorans sponsalia inierit? Duos casus à se invicem separandos esse censeo, aut enim vitio

Si unus desponsatorum vitium pedum ignoraverit,

pedum laborans illud celaverit, aut vitium quidem manifestum fuerit, verum alter amore obcœcatus illud non observaverit. Priori casu sponsalia ritè non celebrata, si eo indicato alteram partem non esse consensuram sciverit, vitium namque pedum celans dolum commisit, dolus autem hic excludit consensum *l. 7. pr. ff. d. dol. c. 2. d. pact. in 6to a. c. 2. X. de jurej.* hinc pars decepta nunquam in sponsalia cum vitio pedum laborante contracta consensisse intelligitur. Posteriori vero sponsalia subsistunt, nec alteri parti error, quem commisit, prodest, siquidem certi juris est, quod error qualitatis matrimonium haud impediat, nec vitiet sponsalia, cum qualitas sit tantum accidens, quod salvo matrimonio adesse & abesse potest, *can. un.* vers. *error fortunæ & qualitatis 29. quæst. 1.* Neque obstat, quod ejusmodi error, quam corpus attingat, hoc autem ad materiam conjugii pertineat, substantialis sit, siquidem distinguendum est, an in toto corpore, an vero ejus parte erratum, & licet illo casu error substantialis sit, *cit. can. un.* vers. *error personæ;* hoc tamen tantum accidentalis est, inter partes enim de corpore, ceu materia matrimonii constat, & error solum circa partem, quæ ad materiam matrimonii non pertinet, versatur.

alter vero id celaverit sponsalia rite celebrata non sunt.

quod si autem vitium pedum manifestum fuerit, subsistunt sponsalia.

Obst. quod error substantialis sponsalia irrita reddat.

Resp.

§. XXVI.

Sponsalia rite celebrata ex variis causis iterum solvi possunt.

Sponsalia ritè contracta interdum iterum solvuntur, si nempe justa causa supervenerit, eaque Judici Ecclesiastico legitime probata, privata namque autoritate à sponsalibus recedere non licet. Pro justa autem sponsalia dissolvendi causa inimicitiæ sponsorum capitales CARPZOV. *lib. 2. tit. 10. def. 176.* epilepsia, paralysis CARPZ.

CARPZ. *c. l. def. 180.* habentur. Et in genere ubicunque ex coacto matrimonio tristis exitus metuendus, Judex ad evitandum majus malum potius fidei datæ violationem permittat, quam ad matrimonii consummationem compellat, *c. 17. X. d. sponf.* Unde nullus dubito, quin repudium ideo, quod unus sponsorum vitio pedum affectus, ob quod alter ab eo merito abhorret, impetrari possit; nonne enim tristissimus conjugii exitus metuendus, si quæ ei nubere compellatur, quem ob insignem ejus deformitatem merito abominatur. Quo & facit rescriptum INNOCENTII III. Pontificis in *c. 25.* verf. *quod si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret: num quid vir teneretur, eam ducere in uxorem? Profecto ductam non posset dimittere, sed numquid non ductam admittere teneretur. Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum X. d. jurej.* Cui accedit, quod sponsalia sub hac conditione censeantur celebrata, si res & conditio personæ in eodem permanserit statu, veluti etiam aliis actibus inest clausula: rebus sic stantibus *l. 38. pr. ff. d. solut.* Quod si ergo vitium pedum, hincque deformitas & per consequens inde mutatio affectus erga personam supervenerit, quidni à sponsalibus rursus discederetur. CARPZ. *l. c. def. 181.*

Ejusmodi causis eo quoque si unus sponsorum vitio pedum afficiatur, annumeranda.

§. XXVII.

Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens *§. 1. J. d. P. P.* Quicunque consentire possunt, illi nuptias recte ineunt, nisi

Nuptiæ definiuntur.

 vel

vel impediantur, ut castrati, hi enim à matrimonio repelluntur, licet puella consentiat, quum ad finem matrimonii obtinendum plane inhabiles, & puella, quæ putat se tali marito contentum esse velle, postea incontinentiæ stimulis agitata ad adulterinos complexus de facili invitari posset, STRYCK. *ad Brunnem. J. Eccl. l. 2. c. 17.* §. 2. verb. *scienter;* vel prohibeantur. Sic matrimonium Christiani cum Judæa prohibitum *l. 6. C. d. Jud.* ita ut si Christianus hujus prohibitionis rationem non habuerit, ut adulter puniatur, *d. l. 6.* item adulter prohibetur adulteram ducere *Nov. 134. c. 12.* jure Canonico inter adulterum & adulteram subsistit matrimonium, nisi adulterium cum promissione matrimonii fuerit conjunctum, vel insidiæ vitæ alterius conjugum structæ fuerint *c. 6. X. de eo, qui dux. in matrim. quam adult. poll.* Reliquæ personæ nuptias celebrare impeditæ vel prohibitæ penes Dd. *ad tit. ff. d. R. N.* legi possunt. Nuptiæ ineuntur consensu contrahentium matrimoniali mutuo *l. 15. ff. d. condit. & demonstrat.* publice declarato, ita ut accedat benedictio sacerdotalis, *c. 1. XXX. qu. 5.* in templo non in ædibus privatis, nisi necessitas *art. gen. XIII. §.* und nachdem sich etzliche daheim in ihren Häusern, Höfen, auch wohl gar unter dem Himmel, und nicht in der Kirchen trauen lassen, daraus denn allerley Unrichtigkeit erfolget, als soll hinführo die Copulirung und Zusammengebung, oder Einsegnung der Braut und Bräutigams ausserhalb der Noth anders nicht dann in der Kirche vor Christlicher Gemeinde geschehen, aut dispensatio impetrata aliud indulgeat. Inter casus necessitatis, ubi copula sacerdotalis in ædibus privatis citra dispen-

Nonnulli prohibentur nuptias celebrare.

Copula sacerdotalis in ædibus privatis fieri

dispensationem fieri potest, & eum refero, si una ex personis copulandis vitio pedum laboret, ut in templum procedere nequeat, non enim ubivis locorum occasio male pedatum per sellam, vel lecticam de loco in locum transferendi se sistit.

potest, si una ex personis copulandis vitio pedum laboret.

§. XXVIII.

Quamvis autem nuptiæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens dicantur, *pr. J. d. patr. pot.* indeque intentio contrahentium, dum ineunt matrimonium, sit, quod indissolubiliter cohabitare velint; intentio tamen ista non raro felici destituitur eventu, interveniente sc. ex postfacto aut divortio, aut separatione quoad thorum & mensam. Jure divino V. T. divortium ob leviores causas concedebatur, *Deuter. 24. v. 1. 3.* Jus Civile varias quoque divortii causas tradit *Nov. 22. c. 15. Nov. 117. c. 8. 9.* Jure autem hodierno matrimonium legitime & valide contractum non rescinditur, nisi ob adulterium *Matth. 5. v. 32.* vel malitiosam desertionem *1. ad Corinth. 7. v. 15.* quibus duabus causis STRYCK. *U. M. P. Lib. 24. tit. 2. §. 9.* insidias vitæ structas addit. Unde clare apparet, conjugem divortium eo petentem, quod alter conjux pedem amiserit, vel alio pedum vitio affectus sit, non audiendum esse; nihil enim tam humanum esse videtur, quam fortuitis casibus mulieris maritum & contra uxorem viri participem esse *l. 22. §. 7. ff. sol. matr.* Quo & facit B. LUTHERI effatum, quando *Tom. 2. Jenens. serm. de vit. conjugal. fol. 156.* ait: wie dann, wann jemand ein franckes Gemahl hat, das ihm zur ehelichen Pflicht kein nütze worden ist, mag der nicht ein anders nehmen? beyleibe nicht, sondern diene GOtt in dem Krancken, und warte sein, dencke daß dir GOtt an ihm hat Heiligthum in dein Haus geschickt. Quare merito *in c. 25. X. d.*

Matrimonium ritè contractum iterum justa ex causa solvi potest.

Justam divortii causam vitium pedum superveniens non prabet.

X. d. jurej. disponitur: *quod si post hujusmodi juramentum mulier non solum fieret leprosa; sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret vel quicquam ei turpius eveniret: numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? profecto ductam non posset dimittere.*

§. XXIX.

Nuptiæ legitime sunt celebratæ, licet unus conjugum vitium pedum, quo laborat, usque ad tempus nuptiarum celaverit.

Suntne autem nuptiæ ritè contractæ, si unus contrahentium vitium pedum, quo laborat, usque ad tempus nuptiarum, celaverit, hocque elapso, illud demum in notitiam alterius pervenerit? Et licet §. XXV. certa ratione asseruerim, sponsalia eo, quod unus sponsorum vitio pedum laboret, idque celaverit, non subsistere, aliud tamen sponsalibus per copulam sacerdotalem consummatis statuendum esse puto, siquidem eo casu res adhuc integra, hinc parti deceptæ facilius succurri potest, hoc è contrario semel indissolubilitas matrimonii contracta, quæ non nisi ob adulterium vel malitiosam desertionem solvi potest. Consentit mihi ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 12. §. 3.* verb. *qualitatis*, BRUNNEM. *ad l. 7. ff. d. dol. mal. n. 7.*

§. XXX.

Nisi vitium illud tale sit, ut eo laborans copulæ incapax sit

Alius plane est casus, si vitium pedum tale sit, ut eo laborans copulæ incapax reperiatur, quod sicuti in fœmina genua disjungere non valente apparet; ita tunc matrimonium legitime haud celebratum, siquidem personæ ad coëundum inhabiles, ad nuptias ineundas quoque inhabiles, fœminam autem genua disjungere non valentem ad coëundum inhabilem esse, modus coëundi, quem schola Medicorum tradit, satis docet, quare matrimonium cum ejusmodi fœmina contractum nullum declarandum. Neque pro contraria opinione facit, maritum cum tali fœmina coitum alio modo exercere, eamque gravidare posse,

se, licet namque Medici statuant, coitum præposterum naturæ maxime convenientem atque fœcundum esse, hincque eundem in matrimonio sterili sæpius commendent; non tamen puto maritum ad coitum præposterum exercendum obligatum esse, siquidem ille quadantenus bestialitatem sapit, quum bestiis proprius, quare maritus scrupulosus talem coëundi modum merito abhorret. Et si fingam, maritum præpostero coitu usum, imprægnationemque secutam fuisse, inde tamen minime sequitur, matrimonium cum fœmina genua disjungere non valente recte contractum esse, ideoque subsistere, si enim ex scriptis Medicorum modum pariendi vel obiter considerem, statim apparet, eo casu, vel matri, partuique, vel alterutri moriendum esse. Descendit ad meam opinionem STRYCK. *in not. ad Brunnem. J. Eccles. lib. 2. c. 17. §. 7.* verb. *respectu mariti sit arcta.*

§. XXXI.

Ex patria potestate effectus oriuntur vel personales vel reales. Ad personales referuntur 1) jure civili eoque veteri, jus vitæ & necis *l. ult. C. d. patr. pot.* novo modica castigatio *l. un. C. d. emend. proqinq.* 2) jus offerendi liberos judici, dicturo sententiam, quam ipsemet pater velit *l. 3. C. d. patr. pot.* quod hodie in foro exulat, quamvis enim patri in causis privatis & domesticæ coërcitionis judicium permittatur, eidem tamen judicium in causis publicis, i. e. quæ pœnam publicam inferunt, minime permittendum. Illustr. à BERGER. *in Oecon. jur. l. 1. tit. 3. §. 15.* 3) jus distrahendi liberos in casu scilicet extremæ necessitatis *l. 2. C. d. patrib. qui fil. suos distrax.* quod itidem hodie cessat, quum magistratum, eum scilicet, qui merum imperium habet, patri egenti ex officio succurrere oporteat. Illustr. à BERGER *c. l.* Effe- *Effectus patriæ potestatis personales traduntur.*

Effectibus patriæ potestatis realibus acquisitio per liberos annumeratur.

ctibus realibus priori loco annumeranda acquisitio per liberos, vel proprietate etiam, vel tantum usufructu, pro diversitate peculiorum, nempe filiorum familias peculium est duplex, vel militare vel paganum. Militare occasione veræ, vel quasi militiæ acquiritur, hinc est vel castrense, quod filiofamilias intuitu armatæ militiæ quæritur, vel quasi castrense, quod filiisfamilias ex quasi militia intuitu artium liberalium vel officiorum publicorum acquiritur *l 1. C. d. inoff. testam.* Ubi quæstio huc pertinens emergit, an id, quod filiusfamilias saltator ex arte saltatoria acquirat, ad peculium quasi castrense referendum? Et quum artem saltatoriam non ad artes liberales, sed mechanicas pertinere, credam, id autem, quod ex his acquiritur, peculium quasi castrense non constituat STRYCK. *in not. ad Lauterb. lib. 15. tit. 1.* verb. *quasi castrense*, filiofamilias saltatori peculium quasi castrense non adscribendum, sed potius quod ex arte saltatoria acquirit, ad peculium adventitium regulare referendum. Peculium paganum extra militiam veram vel quasi filiofamilias acquiritur, & est vel adventitium vel profectitium. Adventitium aliunde non ex re patris filiofamilias quæsitum *§. 1. J. per quas person. cuique acquir.* idque dividitur in regulare, seu ordinarium, & irregulare seu extraordinarium. Regulare est, in quo filius habet proprietatem, pater vero usumfructum. Ad hoc pertinet non solum id, ut jam dixi, quod ad filiumfamilias saltatorem ex arte saltatoria pervenit, sed & quod filiofamilias alias ex operis pedibus præstitis v. g. Bothschaft lauffen, quæsitum *l. 6. C. d. bon. quæ lib.* Irregulare est, in quo filius habet proprietatem & usumfructum; profectitium denique est, quod ex rebus patris, vel ejus occasione ad filiumfamilias pervenit. Reliquos

Quod filiusfamilias saltator ex arte saltatoria capit, ad peculium quasi castrense non pertinet.

bene autem ad adventitium regulare, ad quod etiam id spectat, quod filiusfamilias alias ex operis pedibus præstitis acquirit.

liquos patriæ poteſtatis effectus reales merito tranſeo, quum thematis mei materiam non ſuppeditent.

§. XXXII.

In ſtatu tutelæ occurrunt tutores & pupilli. Tutela eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe ipſum defendere non poteſt, jure civili data ac permiſſa *§. 1. J. d. tutel.* Qui hac vi & poteſtate gaudet, dicitur tutor, perſona regenda & tuenda audit pupillus. Quicunque perfecta ætate, judicio, & ſenſu neceſſario inſtructi, ut pupillum tueri, eique contrahenti autoritatem præſtare poſſint, illi ſunt habiles ad tutelam gerendam, niſi in ſpecie prohibeantur. SCHOEPFFER. *in Synopſ. jur. lib. XXVI. Tit. I. n. 9.* Hinc licet furioſi *l. 40. ff. d. R. J.* mente capti, impuberes *a. §. 13. J. d. excuſat.* muti, *l. 1. §. ff. de tut.* & ſurdi *l. 1. §. 3. eod.* impediantur tutores fieri, ſervi autem *a. l. 32. ff. d. R. J.* niſi libertatem conſequantur *§. 1. J. qui teſtam. tut. dar.* fœminæ *l. ult. ff. d. tut.* infames, qui ex adminiſtratione doloſe geſta tales facti *l. 3. §. 8. ff. d. ſuſpect. tut.* quum is, qui ſemel malus, in eodem genere delicti ſemper præſumatur talis *c. 8. d. R. J. in 6to.* aliique prohibeantur, tutores fieri; claudus tamen, aliove pedum vitio laborans neque inter impeditos neque prohibitos locum occupat, ideoque ad officium tutoris gerendum idoneus cenſendus.

Tutela definitur.

Requiſita tutoris traduntur.

Certæ perſonæ tutores fieri nequeunt.

claudus verò, aliove vitio pedum laborans rectè tutor conſtituitur.

§. XXXIII.

Officium tutoris præcipue circa perſonas pupillorum, & per conſequentiam circa res & bona eorum verſatur *§. 4. J. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* Circa perſonam pupilli tutor debet expendere, quid moribus, honeſtati, conditioni pupilli conveniat *l. 12. §. 3. ff. d. adminiſtr. & peric. tut.* verb. *ſed etiam moribus pupilli præponatur*, BRUNNEM.

Officium tutoris primario circa perſonas pupillorum verſatur.

Unde tutor quoque obligatur, curare, ut pupillus informatione saltatoris uti valeat.

ad dict. l. n. 1. 2. unde non immerito colligo, & tutorem obligatum esse, curare, ut pupillo, si ejus dignitas & facultates id exigant, informatione saltatoris uti liceat; siquidem ea non minimum medium mores excolendi, atque prudentiæ rite vivendi suppeditat.

§. XXXIV.

Tutela est munus publicum.

Obst. l. 6. §. 15. ff. de excusat. tut. vel curat.

Resp.

Tutela quamvis sit munus publicum *pr. J. d. Excusat. tut. vel. curat.* neque obstat *l. 6. §. 15. ff. eod.* ubi MODESTINUS ait: *tutela non est munus reipublicæ*, siquidem notum est, publicum aliquid dici vel ratione causæ efficientis, cujus respectu omnia munera, eo quod publica autoritate imponantur, & per consequens etiam tutela, publica dici possunt, vel ratione finis & utilitatis, quæ si ad singulos spectet, munus habetur privatum, uti tutela, sin ad totam universitatem, publicum efficitur munus, ideoque quis ad tutelam suscipiendam cogi possit *l. 1. pr. ff. d. admin. & peric. tut. l. ult. pr. C. eod.* nonnulli tamen onus tutelæ justa gaudentes causa recusare valent. Causæ excusationis ad duo referri possunt capita, quorum alterum est privilegium, alterum impedimentum. De privilegiis, quæ justam excusationis causam præbent, hic nihil habeo, quod moneam, hinc meditationes meæ ad alterum causarum excusationis caput dirigendæ, de quo SCHOEPFFER. *in Synops. Jur. ad tit. ff. d. excus. n. 27.* non sine fundamento in genere sentit, quod omnis illa causa, quæ tutorem tutelæ suscipiendæ imparem reddit, justam suppeditet excusationem. Quare sicuti merito *§. 7. J. de excusat.* asseritur, propter adversam valetudinem, propter quam quis ne suis quidem negotiis interesse potest, excusationem locum habere, ita non abs re quæro; an vitium pedum, quo is, cui tutela quædam delata, legitimam quoque præ-

An vitium pedum, quo quis laborat, justam à tutela se excusandi præbeat causam? disquiritur.

præbeat excusationem? Si regulam de impedimentis justis excusationis causis latam considerem, hæc quæstio neque simpliciter affirmanda, neque simpliciter neganda, sed distinctione utendum, an is, cui tutela delata, propter vitium pedum, quo laborat, tutelæ suscipiendæ impar factus, an minus. Priori casu vitium pedum justam tribuit excusationem, quod *l.3. C. qui morbo se excusant.* luculenter probatur; siquidem Imperator ibi sequentia disponit: *Podagræ quidem valetudo nec ad personalium munerum prodest excusationem: verum cum ita te valetudine pedum afflictum dicas, ut rebus propriis intercessum commodare non possis; rector provinciæ, si allegationibus tuis fidem adesse perspexerit, ad personalia munera te vocari non patietur.* Neque obst. *l. 2. §. 7. ff. de vacat. & excusat. mun.* ubi ULPIANUS distinguens inter munera, quæ tantum corpore, & quæ consilio prudentis viri complenda, illorum quidem, non autem horum excusationem propter debilitatem corporis concedit, ULPIANUS enim in verbis finalibus istius *l.2. §.7. nisi certis & receptis probabilibus causis* fateri necesse habet, posterius membrum suæ distinctionis non omni exceptione majori gaudere veritate, sed ob probabiles quoque causas debilitatem corporis excusationem munerum, quæ animi solicitudine expedienda, præstare; ad ejusmodi autem probabiles causas *l. cit 3. C. qui morbo se excusant* eam, ubi quis valetudine pedum ita afflictus, ut ne suis quidem negotiis interesse possit, non immeritò refert. Posteriori è contrario casu, ubi nempe vitio pedum laborans ad tutelam gerendam habilis vitium pedum excusationis causam non præbet, siquidem *l. 9. C. d. excus.* ita sancit: *Frater tuus non ideo à tutela vel cura excusari debet, quod oculum amisit, proinde intelligis munus susceptum eam deserere non posse.* Et quamvis hæc lex de oculo amisso

tantum loquatur, merito tamen ad casum quoque, ubi quis vitio pedum quidem affectus, ast nihilominus ad tutelam suscipiendam idoneus, trahenda, quum ratio legis in eo sine omni dubio consistens, quia amissio oculi habilitati tutoris nihil detrahit, tunc quoque locum invenit, si vitium pedum sit leve, quod administrationi tutelæ impedimento haud est.

§. XXXVI.

Divisio cura traditur, atque ulterius explicatur.

Ultimo loco intuitu status curæ jura pedum tradenda. Cura dividitur in simplicem & mixtam. Simplex est vel personalis, vel realis. Cura personalis sive ratione personæ tantum, est, quæ constituitur consilii & auctoritatis solum, non item administrationis causa. Cujusmodi est cura sexus sive muliebris, quæ iterum est duplex: *legitima*, puta mariti, die eheliche Vormundschaft, quæ in *E. O. P. S. tit. VIII. §. 1.* denuo approbata, atque quodammodo aucta, & *confirmata*, quæ vel *generaliter* in loco domicilii, vel *specialiter*, in loco contractus, aut litis motæ constituitur *Dec. El. 59.* Si uxori curator generalis constitutus, non sufficit, ut ea cum consensu mariti ceu curatoris legitimi contrahat, sed insuper requiritur, ut curator confirmatus adhibeatur, nisi uxor judice vel parte quærente, an ipsi curator generalis datus sit, id neget *E.O. P. S. c. l.* Cura realis, sive ratione rei tantum est cura bonorum, quæ constituitur 1) ventri, hanc in rem, ut curator cibum, potum, vestitum, tectum, mulieri præstet pro facultatibus defuncti, & pro dignitate ejus, atque mulieris *l. 1. §. 19. ff. de ventr. in poss. mitt. & curat. ej.* 2) ob absentiam, hæc defertur ei, qui proximam habet spem succedenti in absentis bonis, præstita tamen cautione CARPZ. *p. 2. const. 15. def. 48. seqq.* Hæc cura cessat si mors absentis vel vere, vel præsumptive pro-

probata, 3) debitori ſive mortuo, ſive abſenti, dividitur in judicialem, quæ ad litem, vel extrajudicialem, quæ ad bonorum adminiſtrationem datur, utraque tamen cura nonnunquam in eadem perſona concurrit. Hodie tam curator bonorum, quam litis, antequam conſtituantur, juramenta certa præſtare tenentur *E.O.P.S. Tit. XLI. §. 1. & 4.*

§. XXXVI.

Cura mixta, quæ realis & perſonalis ſimul eſt, vocatur poteſtas adminiſtrandi bona ejus, qui rebus ſuis præeſſe nequit, dividitur in teſtamentariam, legitimam & dativam, quæ diviſio tamen magis jure hodierno, quam civili ſuſtinetur, ſiquidem hoc jure minoribus non niſi volentibus & petentibus dantur curatores *§. 2. J. d. curat.* itaque curator teſtamento dari non poteſt *§. 1. J. eod.* hodie vero minores absque curatoribus non relinquendi. *Ord. Polit. d. a. 1577. tit. 32. § 1.* verb. so wollen wir allen und jeden Churfürsten, Fürsten, Prälaten, Grafen, Herren, von Adel, Communen, hiermit ernstlich auferlegt und befohlen haben, in ihren Fürstenthümern, Herrschaften, Obrigkeiten und Gebieten, dermaßen Versehung zu thun, u. zu verordnen, daß den Pupillen und minderjährigen Kindern jederzeit, biß sie zu ihren vogtbaren Jahren kommen, Vormünder u. Vorsteher, da die ihnen von ihren Eltern in Testamenten, letzten Willen nicht verordnet, oder ihre angebohrne Freunde und Verwandten sich der Vormundschaft aus rechtmäßigen Ursachen nicht unterziehen wolten, oder dazu untüglich und ungeschickt wären, gegeben werden, & ex loco allegato *Ord. Polit.* haud obſcure colligitur, parentes in teſtamento ſuo liberis Curatores dare poſſe. Curator datur iis, qui rebus ſuis præeſſe nequit, ob defectum eumque α) naturalem, ſive ordinarium, ut puta minoribus jure ci-

Cura mixta deſcribitur.

diviſio curæ in teſtamentariam, legitimam atque dativam defenditur.

vili

vili viginti quinque, Saxoniæ viginti uno annis, β) accidentalem, sive extraordinarium, qui contingit 1) modo morali, videlicet in prodigo 2) physico, ut α) in furiosis *l.7.& tot.tit.ff.de curat.furioso.& aliis extra minores dandis & C.de curat.fur.* β) mente captis *l.2. C. eod.* γ) surdis & mutis, & qui perpetuo morbo laborant, ut rebus suis superesse nequeant *§.4.J. de curat.l.4.l.5.ff.d.postul.* Unde non sine fundamento statuo, ei, qui vitio pedum laborat, hincque ad bona sua administranda inhabilis est, curatorem dandum esse, siquidem principium: quicunque ob infirmitatem corporis rebus suis superesse nequit, illi curator dandus, non solum ex *§. 4. J. d. curat.* satis probari potest, verum etiam in *l.12.pr.ff.d.tut.& curat.dat.* expresse fundatum. Cura hæc finitur, si vitium pedum, ob quod cura constituta, sublatum *a. l.6.C. d. curat. fur.* Et cum hoc modo finiendi curam vitio pedum laborantis, meditationes meas in eruendis pedum juribus hactenus occupatas quoque finio, amplam quidem de jure pedum disserendi jus rerum adhuc suppeditaret occasionem, & imprimis materia delictorum, siquidem ibi de delictis & pœnis pedum verba facere possem, verum cum ita disputatio in commentarium excresceret, hincque limites debitos excederem, merito in juribus pedum, quæ ex jure personarum explicavi, acquiesco, aliis, quibus thema meum non ingratum fuit, tractationem reliquorum jurium pedum relinquens. Interim DEO Omnipotenti pro Divina præstita Gratia, qua in conscribenda præsenti dissertatione fruitus sum, immortales ago gratias, Ejusque providentiæ me meaque studia, pro quorum peractione academica Ipsi sit laus sempiterna, supplici animi devotione committo!

Curatori ei, qui vitio pedum laborat, dandus,

qua cura finitur, si vitium pedum cesset.

Conclusio.

):(o):(